et poenam quae illi praeparatam sibi simul accerserent.
Similia his quae attulimus in Actis etiam Apostolicis habet divinus
Lucas, quamquam maxima horum haereticorum pars ejus scripta
non admittat. Ac certe usque illa Esaiae vel potius Stephani
lingua, luculenter in medio Judaeorum ipsorum ora obstruit.
Hic enim, qui primus triumphalem coronam reportavit in illa adversus
Judaeos disputatione, inter alia argumenta, quibus ingratitudinem
ipsorum protervitatem coarguit, Patrem Domini nostri Jesu Christi
introducit clamantem et dicentem: Coelum thronus meus est, Act. VII. 49.
et meorum pedum scabellum terra: cujusnam igitur domum
mihi aedificabitis? dicit Dominus. Atque adeo, quae Salvator noster ~~Act. VII. 49.~~
in Evangeliis de Patre suo affirmaverat, thronum ejus coelum
appellans, et terram scabellum, et Hierosolyma urbem ejus, eadem ipsa, Matth. V. 34.
jam suum testimonium Domino suo adjiciens primus Martyr,
voce Esajae Patrem introducit asserentem. Es. LXVI. 1.
Rursus alibi Salvator vanitatem dejerantium ostendens
et refutans eandem confirmat doctrinam. Stulti,
inquit, et caeci utrum majus est? aurum, aut templum quod
aurum sanctificat? Proinde templum illud Veteris Testamenti
non tantum in se sanctum erat, sed et sanctificandi vim
habebat. Et denuo: Quodnam est majus donum an
altare donum sanctificans? perspicue et hic ostendens,
quod altare sanctum fuerit, et, quae in eo [illegible]
offerebantur, sancta effecerit. Et paucis interjectis: